



**Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. II. Expugnatur Atheismus, & existentia Dei, multiplici ratione  
demonstratur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

# DE EXISTENTIA ET VNITATE DEI. 37

per aliquid notius; sed se habet sicut propositio, que simpliciter rem enunciat & affirmat, & ideo evidens in artestante non excludit fidem, sicut demonstratio a posteriori, & per effectus, ut dicemus in Tractatu de fide.

*Disp. 1.  
art. 7.*

## ARTICVLVS II.

*Expugnatur Atheismus, & existentia Dei, multiplice ratione demonstratur.*

**25.** **Q**VINQUE RATIONES PRINCIPALES ELEGIT D. THOMAS HIC ART. 3. AD PROBANDUM DEUM ESSE, & AD DESTRUENDUM ATHEISMUM, Sicut olim David ad debellandum & prosterendum Goliath, elegit sibi quinque lippidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastorealem, ut dicitur I. Regum 17. Prima desumitur ex parte motus, & probat dari aliquod ens immobile, & ab omnini mutatione liberum. Secunda ex ratione causæ efficientis, & probat Deum esse primum principium, & primam causam efficientem omnium rerum. Tertia ex ratione contingentis, & necessarij, & demonstrat Deum esse ens necessarium, & à se. Quarta ex diversis gradibus bonitatis & perfectionis, qui in rebus inveniuntur, & ostendit Deum esse primum ac perfectissimum ens. Quinta ex gubernatione rerum, & probat Deum esse primum & supremum hujus universi provisorem & gubernatorem.

**26.** His quinque demonstrationibus, ut hic rectè advertit Caietanus, S. Doctor probat quinque conditiones, seu attributa divinitatis, que non possunt nisi in ente increato reperiiri. Ex immobilitate enim probat attributum immutabilitatis, ex quo deducitur impenitus, & aeternitas. Ex ratione primi efficientis, sumitur ejus omnipotencia circa creaturas. Ex eo quod sit ens à se, & necessarium, sumitur omnis perfectio, bonitas, immaterialitas, & ratio actus purissimi. Ex eo quod sit maximum & primum ens, ejus simplicitas & eminentia demonstrantur, & probatur quod non sit corpus, quod non sit in predicamento, quod sit suum esse, quod sit infinitus, unus, &c. Ex eo denique quod sit primus & supremus mundi gubernator, demonstratur ejus sapientia, providentia, amor, iustitia, misericordia, aliæque perfectiones, & attributa, que reluent in gubernatione hujus universi; & sic his quinque viis inclusit D. Thomas omnia que ad manifestanda Dei attributa possunt conducere.

In hoc ergo articulo has quinque demonstrationes D. Thomæ exponemus, postea alias subiectimus, ex artificio mundi structura, & mirabili compositione hominis; denique ostendimus non posse dari, etiam apud homines barbaros & agrestes, ignorantiam invincibilem de existentia Dei.

### §. I.

*Exponuntur due prime rationes D. Thomæ.*

**27.** **P**RO intelligentia harum demonstrationum, supponendum est primò, quod subordinatio in causis moventibus & efficientibus, potest esse duplex; una per accidens, & accidentalis: alia per se, & essentialis. Accidentalē vocamus eam que est inter causas particulares, quarum una supponit aliam à qua fuit producta in esse, & ista alteram, per quam similiter fuit produc-

*Tom. I.*

Acta, & sic de ceteris. Exemplum rem declarabit: ut pater v.g. generet filium, supponit priùs illum à quo productus fuit, & ille alium adhuc priorem, & sic de reliquis: illa ergo subordinatio quam pater dicitur habere ad omnes antecedentes suos, in ordine ad productionem filij, dicitur accidentalis. Primo, quia quod una causa particularis producat talē effectum, est omnino præter intentionem illius actionis, per quam fuit in esse producta ab alio agente, ut optimè dicit D. Thomas in commentario libri de causis, lectione prima sub finem; & propterea pater producens filium, dicitur ei à quo productus fuit, solū subordinari accidentaliter in tali productione. Secundo, quia pater producens filium, non subordinatur suis antecessoribus in tali productione, tanquam causis actu secum influentibus in effectum, aut tanquam applicantibus virtutem suam ad agendum (quomodo causa particularis, universalis subordinatur) sed dicitur solū eis subordinari, inquantum recipit ab eis esse, quod necessariò priùs habere debuit, quam posset operari; & sic non in ordine causandi, sed potius in ordine essendi, dicitur eis subordinari; & propterea non mirum quod talis subordinatio dicatur accidentalis in ordine ad agendum, quandoquidem illa non est in eodem ordine. Subordinatio vero essentialis dicitur illa, que est inter causas, quarum una per se & essentialiter, in agendo & movendo dependet ab

C alio simul influente, & concurrente, vel eam applicante ad agendum: qualis subordinatio reperitur inter causas particulares & universales, v.g. inter terram & solem, & inter creaturas & Deum, ut docet D. Thomas I. 2. quest. 109. art. 1.

**D** Secundò supponendum est, quod licet posset admitti processus in infinitum, in causis & moventibus per accidens subordinatis, sicut de facto daretur in leonibus generantibus & genitis, si mundus fuisset ab aeterno quoad successiva; non tamen dari potest in causis & moventibus per se subordinatis, & in causando & movendo, ab actuali superiorum influxu dependentibus: tum quia alias daretur simul infinita actu multitudine agentium, cum non possint actu influere nisi existent; tum etiam, quia alias nunquam re ipsa produceretur effectus: quia causa proxima à qua debet immediatè produci, nunquam agit, nisi dependenter ab influxu causa superioris; nec illa, nisi alia superiori influente, si detur, & sic consequenter; ita ut necesse sit influxum omnium causarum superiorum, mediis causis propinquioribus pervenire ad causam proximam, ad hoc ut illa agat: nusquam autem perveniret ad illam, si daretur ibi processus in infinitum; quia infinita illa multitudo causarum non est pertransibilis: Ergo &c. Videndum est D. Thomas infra quest. 46. art. 2. ad 7. ubi dicit, In

E causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se: sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus, non reputatur impossibile. Unde non est impossibile quod homo generetur ad hominem in infinitum: est autem impossibile, si generatio hujus hominis dependet ab homine, & a corpore elementari, & a sole, & sic in infinitum.

Tertiò supponendum est, quod primus motor omnino immobilis, Deus est. Probatur haec suppositio: nomine Dei intelligimus id quod nihil majus aut melius excogitari potest: Sed pri-

*E iiij*

28.

29.

## DISPUTATIO PRIMA

Mus motor penitus immobilis, talis est: Ergo est Deus. Major constat, Minor probatur. Primus motor omnino immobile debet esse actus purus, quia debet carere omni potentiate, siquidem intantum aliquid est mobile, in quantum est in potentia; unde restat illud quod nullo modo est mobile, nullo modo esse in potentia, sed actum purum: illud autem quod est actus purus, carens omni potentiate, de necessitate omnem perfectionem imaginabilem praehabere debet; quia si aliqua perfectio illi deficeret, esset in potentia ad illam: Ergo sequitur primum motorem penitus immobilem, esse id quo nihil manus aut melius excogitari potest.

**30.** Confirmation: primus motor omnino immobile, debet esse ens in creatum, necessarium, aeternum, immensum, intelligens, imo & sua intellectio: Ergo debet esse Deus. Consequentia patet, Antecedens vero probatur quantum ad singulas partes. Et in primis quod debet esse in creatum, evidens est: si enim esset creatum, esset mutabile: siquidem omne quod creatum est, mutabile est, saltem transundo de non esse ad esse, & de esse ad non esse. Quod etiam illud sit necessarium constat: ens enim omnino immobile, & incapax omnis mutationis, non potest alterare se habere: Sed quod non potest alterare se habere, est necessarium: Ergo ens omnino immobile, necessarium est. Item cum immutabilitas sit ratio a priori aeternitatis, ens omnino immobile & immutabile, debet esse aeternum. Similiter cum movens & motum debeat esse simul, etiam suppositaliter, quando movens movere per internam virtutem (ut infra ostendemus, quando agemus de immensitate) primum motor omnino immobile, cum sit causa motuum omnium animalium rerum, debet suppositaliter esse praesens omnibus rebus, & consequenter immensus. Denique cum primus motor debeat carere omnia movere, & dirigere in suos fines, debet illos cognoscere, ac proinde esse intelligens; & cum sit immobile, & actus purus, debet esse sua intellectio, alioquin se haberet in potentia ad illam, quod repugnat actu puro. Non potest ergo melius & efficacius demonstrari Deum esse, quam probando dari unum primum motorem omnino immobilem, & qui (ut loquitur Boetius) immotus, stabilisque manens, dat cuncta moveri. His praemissis.

**31.** Facile intelligitur prima ratio D. Thoma, que sic potest in forma proponi. Datur unus primus motor omnino immobile: Sed ille est Deus: Ergo datur Deus. Minor constat ex ultima suppositione: Major autem sic probatur a D. Thoma. Omne quod moveatur, ab alio moveatur: Sed in moventibus & motis per se subordinatis, non potest dari processus in infinitum: Ergo deveniendum est ad primum movens immobile, quod a nullo moveatur, & quod immotum manens, cuncta alia moveat. Minor constat ex tercia suppositione: Major autem, praeterquam quod expressè habetur apud Aristotelem 6. & 8. Phys. & est commune & tritum axioma, apud omnes Peripateticos, & veteres Philosophos receptum, evidenter demonstratur a D. Thoma, ex natura ipsius motus. Quod enim moveatur, est in potentia ad id quod moveatur: quod autem mouet, est in actu; quia movere, est reducere aliquid de potentia in actum, id est perducere aliquid ut actu habeat id ad quod est in potentia: nihil autem reducitur in actu per id quod est in

A potentia, sed per id quod est in actu (potentia) litas enim non habet vim reducendi, sed recipiens) movens ergo debet esse in actu, mobile in potentia: est autem impossibile quod aliquid sit simul in actu & potentia, respectu ejusdem, quia actus & potentia contradictorias rationes important: quod enim est in potentia ad aliquid, non habet illud: quod vero est in actu, habet illud, vel aliquid illo eminentius, ratione cuius non est amplius in potentia, sed in actu: Ergo impossibile est quod aliquid moveat seipsum, & simul sit movens & motum, respectu ejusdem, sed quidquid moveatur, ab alio debeat moveri.

**B** Nec veritatem hujus principij, hujusque demonstrationis vim & efficaciam enervare, vel infringere possunt instantiae quorundam recentiorum, quibus displace hoc principium a D. Thoma assumptum: eò quod illud plurimum faveat Physice premotioni, quam illi rejiciunt. Unde dicunt, principium illud Aristotelicum. *Omne quod moveatur, ab alio moveatur, non esse universaliter verum, nec sufficienter adhuc demonstratum: plura enim sunt (inquit) quæ per actum virtualem videntur esse movere, & reducere ad formalem: ut videre est in viventibus, quæ agunt, & se movent a principio intrinseco; in gravibus & levibus, quæ se movent ad centrum; in aqua calida, quæ restituit se ad pristinam frigiditatem; & in voluntate creata, quæ cur sit potentia libera, seipsum movet & determinat ad agendum, nec ab aliquo agente moveretur & determinatur, alioquin ejus libertas & indifferenter tolleretur.*

**C** Verum haec instantiae frivole sunt, & procedentes ex falsis principiis, unde ad primam faciliter respondetur, in viventibus, omnes motus vitales procedere a motu cordis, qui est primum vivens, & ultimum moriens, motum vero cordis esse a generante: non repugnat enim, quod aliquis motus vitalis procedat & derivetur ab aliquo extra se, quando motus ille vitalis est primum & id a quo ceteri inchoantur; qualis est motus cordis in vita sensitiva, & prima intentio finis in vita morali & rationali: unde sicut istud est a Deo, ut speciali motore: ita & motus cordis a generante, quod cum vitam inchoet, etiam primum vita motum inchoare debet. Similiter motus levium & gravium ad centrum, & recuperatio frigiditatis in aqua calida, sunt virtute generante, quod in emanatione passionum complet generationem suam, & quod, licet interdum non sit immediatae praesens per seipsum, quando hunc illi motus, est tamen praesens mediatae & virtualliter, ratione naturæ, quæ est terminus primarius generationis, & quæ se habet ut medium concreta actionem generantis cum ipsis passionibus. Sed hæc ad Philosophiam spectant.

**D** Ad aliam vero instantiam, qua est de voluntate creata, quæ cum sit potentia libera, seipsum mouet & determinat, facile respondetur, quod voluntati creata eo modo competit se movere & determinare, quo libera est: unde cum non sit primum, sed secundum liberum, ei non competit per se primò, & independenter a quocunque alio libero, se movere & determinare, sed secundario tantum, & dependenter a motione, & determinatione primi liberi, primique determinantis, ut suo loco ostendemus. Unde D. Thomas infra querit. 105. art. 4. ad 2. & 3. dicit,

Moveri ex se, non repugnat ei quod moveretur ab alio; quod amplius explicat, & latius expendit quæst. 3. de malo art. 2. ad 4. ubi hoc scribit: *Manifestum est autem, quod cum aliquid moveat alterum, non ex hoc ipso quod est movens, ponitur quod sit primum movens: unde non excluditur quin ab altero moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum quod moveat. Similiter cum aliquid moveat seipsum, non excluditur quin ab alio moveatur à quo haberet hoc ipsum quod seipsum moveat, & sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrii.*

34. Addo quod, quamvis daretur, Deum ut motorem particularem, non movere, nec applicare voluntatem ad actus deliberatos, negari tamen non posset, quin ut motor uniuersalis eam moveat, & determinet ad primam volitionem seu intentionem finis, qui est actus indeliberatus: quod sufficit ad verificandum illud principium Aristotelis, *Omne quod moveretur, ab alio moveretur*: sic enim voluntas non moveat seipsum ad electionem mediorum, & alios actus deliberatos, nisi ut prius mota, & applicata à Deo, virtualiter saltem & mediatè.

35. Eadem demonstrationem eludere conantur Athei, recurrendo ad processum in infinitum, quem dicunt in causis moventibus & motis non esse impossibile, ut constat in sententia D. Thomæ, & aliorum qui docent mundum potuisse esse ab æterno, secundum permanentia & successiva: in tali enim casu evidens est quod datur processus in infinitum in generationibus leonum vel hominum. Verum huic evasioni Atheorum iam aditum præclusimus, ostendimus enim quod quamvis in causis per accidens subordinatis, possit concipi vel dari processus in infinitum, hoc tamen repugnat in causis per se & essentialiter subordinatis, rationemque disparitatis assignavimus: quia in causis per accidens subordinatis, ultimum movens non debet expectare motum & influxum causarum priorum, nec ab illis moveri, aut applicari ad agendum. v. g. quia leo generans, per se & immediatè in sua actione non dependet ab alio à quo est genitus, nec ei per se subordinatur, sed per accidentem & mediately, quatenus ab illo recepit naturam & potentiam generativam, non repugnat dari processum in infinitum in generationibus leonum, si mundus fuisset ab æterno productus: in moventibus autem per se subordinatis hoc omnino repugnat, quia in illis ultimum movens non movere nisi motum & applicatum à priori, & istud ab alio, & sic deinceps: unde cum infinitum non sit pertransibile, si in illis datur processus in infinitum, ultimum movens nunquam moveret; ut constat manifestè exemplo horologij, in quo si essent infinitæ rotæ, & qualibet dependeret in suo motu ab alia superiori, nec posset moveri nisi dependenter ab illa prius movente; nulla esset quæ posset ultimò moveri, & pulsare horas: quia nunquam posset deveniri ad primam, quæ ceteras omnes moveret, cum infinita illa multitudo rotarum nunquam esset pertransibilis.

36. Secunda demonstratio D. Thomæ sumitur ex ratione causæ efficientis, & potest sic breviter exponi. Prima causa efficientis est Deus: Sed datur una prima causa efficientis: Ergo datur Deus. Major constat, prima enim causa dicitur illa, quæ est independens ab omni alia in causando, atque adeo in essendo; cum causare & operari

A sequatur ipsum esse: nihil autem aliud nomine Dei intelligitur, quam aliquid ens, quod est à se, & independens à quocumque alio: Ergo &c. Minor vero probatur: videmus enim in rebus istis inferioribus & sensibilibus, esse ordinem causarum efficientium, nec tamen inveniri, nec possibile esse, quod aliquid sit causa sui ipsius, quia sic esset antequam esset: ut enim aliquid efficiat, debet habere esse, quia quod nihil est: nihil operatur: ut autem efficiatur, debet non esse: quod enim est, non fit, sed factum est. Cum ergo in causis efficientibus, per se subordinatis, non possit dari processus in infinitum (vt iam ostendimus) necesse est ponere aliquam primam causam efficientem. Hæc demonstratio similis est præcedenti, & eodem modo defendenda, ejusque vis & efficacia magis constabit ex dicendi in sequenti, ubi omnia Atheorum effugia confutabimus, corumque latibula destruemus.

## §. II.

*Explicantur aliae rationes D. Thomæ.*

Tertia ratio D. Thomæ sumitur ex contin-  
genti & necessario, & potest sic proponi.  
Datur in rerum natura aliquid ens necessarium,  
de cuius ratione & essentia est quod sit, & exi-  
stat necessario: Sed tale ens est Deus: Ergo datur  
Deus. Minor constat: ens enim necessarium, de-  
bet esse à se, & improductum, ac independens,  
ac prouinde Deum: nomine enim Dei, nihil aliud  
intelligimus. Major vero, in qua solum est dif-  
ficultas, probatur: si non datur aliquid ens ne-  
cessarium, & de cuius essentia sit esse & existere,  
sequitur omnia entia quæ sunt in rerum natura,  
esse contingentia, & possibilia esse & non esse:  
Sed hoc implicat contradictionem: Ergo in re-  
rum natura debet dari ens aliquod necessarium,  
de cuius essentia sit actu & necessario existere.  
Major constat, Minor vero probatur. Si enim  
omnia entia quæ sunt in rerum natura, essent  
contingentia, & possibilia esse & non esse, nullum  
planè ens de facto datur à parte rei: Sed  
hoc est contra sensum, & manifestam experien-  
tiā: Ergo omnia entia quæ sunt in rerum natu-  
ra, non possunt esse contingentia. Sequela Ma-  
joris probatur: illa quæ ex se, & ex sua ratione  
specifica & essentiali, possibiliteret solum ha-  
bent ad existendum, non possunt poni in rerum  
natura, nec reduci de potentia in actum existen-  
di, nisi per ens aliquod necessarium, & cui per  
se & ex natura sua conveniat existere: Sed con-  
tingentia ex se & ex sua ratione specifica essen-  
tiali, habent solum possibiliteret ad existen-  
dum; definitur enim contingens, quod habet  
potentiam ad essendum vel non essendum: Ergo  
si omnia quæ sunt in mundo sint contingentia,  
& nullum detur ens necessarium, nihil omnino  
erit in rerum natura, nullumque dabitur ens à  
parte rei. Minor & consequentia patent, Major  
autem & ratione probatur & exemplis suade-  
tur. Illa quæ per se & ex ratione specifica dicunt  
solum possibiliteret ad aliquem actum vel for-  
mam, non possunt illam habere, nec in illum  
actum reduci, nisi per aliquam causam, quæ vel  
formaliter, vel eminenter talem actum conti-  
neat: sicut quia aer ex natura sua, & ex proprijs  
principijs, est solum in potentia ad lucem, non  
potest fieri actu lucidus, nisi illuminetur à sole,  
aut aliquo alio corpore, cui per se & ex proprijs

# DISPUTATIO PRIMA

40

principijs, lux in actu conveniat: similiter quia aqua, ex se & ex natura sua, est solum in potentia ad calorem, non potest fieri actu calida, nisi recipiat calorem ab igne, qui est actu & formaliter calidus: Ergo similiter illa, quae ex sua natura, & ratione specifica, habent solum possibiliter ad esse ( qualia sunt contingentia ut ostendimus ) debent necessario reduci ad actum existendi, per ens aliquod necessarium, & quod habeat ex se & ex sua natura existere.

<sup>38.</sup> Confirmatur: quotiescumque aliquid per participationem, & per accidens aliqui convenit, debet hoc illi convenire per illud cui per se & per essentiam talis ratio convenit; quia secundum commune axioma, quod est tale per participationem, debet esse tale per id quod est tale per essentiam: Sed esse convenient solum per accidens, & per participationem, rebus contingentibus, ut constat: Ergo debet hoc illis convenire per aliquid aliud, cui per se & per essentiam existere conveniat, ac proinde quod sit ens a se & necessarium.

<sup>39.</sup> Respondent primò Athei: non esse necesse recurrere ad aliquod ens cui necessario existere conveniat, ad hoc ut contingentia existant: quia licet existere, solum contingent & accidentaliter convenient contingentia, possum tamen quod existat, poterit communicare esse alteri contingentia: sicut licet calor accidentaliter solum aquae conveniat, tamen eo ipso quod sit calida, potest aliud corpus calefacere.

Sed contra: sicut aqua non posset esse actu calida, aut calefacere, nisi daretur aliquod ens, cui per se & necessario calor convenire, & à quo primò talis qualitas oriretur, & mediante vel immoderate in aquam diffunderetur: ita non posset etiam contingens, esse actu existens, nec facere quod aliquid actu existeret, nisi tandem esse quod participat, refunderetur in aliquod principium, cui per se, necessario, & ex sua natura, existere conveniat.

Confirmatur & magis declaratur hæc ratio, eodem exemplō aquæ. Sicut enim aqua calida, alium calorem producens, non censetur esse principium radicale, & principale illius caloris quem communicat & diffundit in aliud subiectum, quia illa non habet calefacere ex proprijs, nec per aliquam formam sibi intrinsecam, & ex proprijs principijs convenientem; sed talis calor ultimè reducitur in substantiam ignis, tanquam in ejus principium radicale & principale. Ita similiter, existentia alicujus effectus contingentis, ab aliqua causa etiam contingentis producti, debet necessario reduci in aliud principium radicale & principale, quam in illam causam contingentem: quia etiam esse seu existere, non est in ea tanquam in principio radicali & principali, sed est illi merè accidentale, & prorsus ab intrinseco illi conveniens.

<sup>40.</sup> Respondent secundò Athei: quodlibet contingens in particulari, de possibiliitate ad actum existendi redactum esse, per aliud individuum quod erat existens, & istud per illud quod erat similiter existens, non tamen tota illorum collectio, cum sit infinita, & cum in infinita multitudine non valeat illatio à singulis ad omnia; positis enim infinitis v. g. cœlorum circulationibus in futurum, post quamcumque foret alia, non post omnes; & positis infinitis generationibus ab æterno, ante quamcumque foret alia, non ante omnem. Similiter dicunt, quodlibet contingens

A in particulari esse ab alio productum, non autem omnia simul & collectivè sumpta.

Hæc responso est præcipuum effugium, seu latibulum Atheorum, quare efficaciter confutanda est, ut ex ejus impugnatione veritas existentia Dei, & vis ac efficacia rationis iam exposita, magis elucescat.

Et in primis illa supponit processum in infinitum, in caufis etiam per se subordinatis, esse possibilem, quem tamen supra ostendimus manifestè repugnare. Item illa temerè & sine fundamento ponit à parte ante, infinitam multitudinem entium, & causarum, vel effectuum. Præterea evidenti ratione confutari potest: quamvis enim in multitudine infinita non valeat consequentia à singulis ad totum, in prædicatis sumptis à quantitatè continua vel discreta, aut illi affiniibus, ut constat in exemplis adductis: secùs tamen in omnibus alijs; præfertim si illa sint quidditative & essentialia. At impotencia effendi à seipso, seu indigentia recipiendi esse ab alio, in re contingentia, non est prædicatum quantitatis continua vel discreta, nec illi affine; sed est prædicatum essentialie, conveniens illi absolute & ex limitatione, & imperfectione suæ essentie, qua non est illi sufficiens fundamentum effendi: Ergo illa convenire debet, non solum singulis contingentibus distributivè sumptis, sed etiam toti eorum collectio, & bona esse illatio: quodlibet contingens signillatim, & in particulari, indiger recipere esse ab alio: Ergo & omnia collectivè sumpta.

<sup>41.</sup> Minor & consequentia patent: Major autem probatur primò inducitio ne aliorum attributorum essentialium, & abstractientium à quantitate. Quia enim v. g. singuli homines sunt rationales & risibiles, verum est dicere, totam illorum multitudinem & collectio nem, quamvis infinita poneretur, esse similiter rationalem & risibilem. Et si singuli equi essent albi, verum est dicere totam illorum multitudinem esse albani: idque non alia de causa, nisi quia collectio nihil addit singularibus, quod impedit ne predicata illa, etiam multitudini toti convenientia. Secundò probatur eadem Major ratione à priori: quia collectio omnium particularium, nihil aliud addit supra quodlibet particula re in illa inclusum, nisi quantitatem aliquam, permanentem vel successivam, continuam vel discretam: cum igitur omnium collectio nullà aliâ ratione differat à singulis, nisi penes maiorem aut minorem quantitatem, quam addit supra illa, hinc fit ut in his tantum prædicatis quæ quantitatem aliquod modò important, non licet argumentari à singulis ad omnia, & à distributivo ad collectivum: omnino autem licet in reliquis predictatis, quæ convenient rebus secundum se, & quæ nullò modò quantitatem important.

Confitatur & magis illustratur hic discursus, varijs exemplis aptissimis. Sicut enim si darentur aëres infiniti, quorum unus alterum illuminaret usque in infinitum, omnes illi lumen & illuminationem suam refunderent in solem, vel in ali quod aliud lumine, cui per se lux convenire, & à quo lucem & illuminationem per se recipieren: quia scilicet aëri solum convenient per se & ex essentia sua, habere potentiam ad lucem & ad illuminationem. Item sicut ex multiplicatione v. g. lapidum infinitorum non ideo poneretur quod tota illorum collectio exigere motum sursum, aut circularem, quia singuli qui ponuntur, carent principijs ad motum illum' inclinantibus. Ita similiter, quia cuilibet enti contingent, con venit

venit solum ex ratione sua specifica, habere potentiam ad effundendum; ideo quantumcumque concedamus dari processum in infinitum, in individuis sibi invicem succedentibus, & se invicem successivè producentibus, nihilominus tamen deberent omnia illa, sive collectivè, sive distributivè sumpta, reduci de potentia in actum existendi, per aliquod ens necessarium, & cui per se & ex sua natura convenienter existere. Sicut enim infinitas illa lapidum non elevat illos ad aliam speciem & naturam, nec ad exigentiam alterius motus, quam illius quod tendunt ad centrum, & ad locum deorsum: ita infinitas illa entis de se contingens & potentialis, non potest elevare totam illorum congeriem & collectionem, ad hoc ut sibi sit radix sufficiens existendi, vel ut se extraheat à potentialitate, ad actum existendi, sine influxu, & concursu alicujus entis necessarij, & à se existentis. Quemadmodum ergo manifestè repugnat, lapides finitos non habere quidem vim movendi se sursum, & ideo egere extrinseco motore, secùs autem si ponantur infiniti; aut lampades finito numerò extintas, non habere vim se accendendi, ideoque egere igne extrinseco, secùs autem si ponantur in numero infinito. Ita evidenter implicat, quod entia contingentia finita, sigillata, ac distributivè sumpta, non possint se reducere ad actum effundi, bene tamen si sint infinita, & si sumatur tota eorum collectio. Quasi verò multiplicatio indigentium tollat indigentiam, & non potius eam augeat, magisque extendat.

43. Confirmatur amplius: cùm omne accidens à subiecto per se dépendeat, omnis intellectio ab intellectu, omnis generatio à materia, & quilibet dies ab emanatione Solis: quamvis fingatur collectio infinita accidentium, & intellectuum, aut processus in infinitum generationum, & directionum: illa infinitas non eximit magis collectionem quam singularia, à suis causis per se. Et si Athei non possunt absolvere generationes à dependencia à materia prima, quam idecirco eternam finiunt: multò minus possunt illas absolvere ab uno primo efficiente, improducto: quia tale efficientis, magis est necessarium entibus contingentibus, quam materia generationi; cùm illa prima causa efficientis, materiam producere possit: materia autem prima, cùm sit infinitum omnium entium, & propè nihil, non possit obire munus hujus primæ causæ efficientis. Et certè in hoc appareat mira stupiditas & dementia Atheorum, quod concedant dari materiam primam, omnino improductam, & ab eterno existentem, & negent dari primam aliquam causam efficientem, ac improductam, quæ sit causa rerum omnium contingentium.

44. Quarta demonstratio desumitur ex varijs gradibus bonitatis & perfectionis, qui in rebus inventiuntur: videmus enim in hoc mundo aliqua entia esse magis vel minus bona & perfecta alijs; unde cùm magis vel minus dicantur de diversis, secundum quod appropinquant ad aliquid, quod est maximè tale: sicut magis calidum, est illud quod magis appropinquat maximè calido, debet dari in rerum natura aliquod ens optimum, perfectissimum, & nobilissimum, quod Deum nominamus, quod sit causa ceterorum: illud enim quod est maximè tale in aliquo genere, est causa ceterorum quæ sunt illius generis: sicut maximè calidum, ut ignis, est causa omnium calidorum. Videndum est Caietanus hic, ubi notat, quod ut

*Tom. I.*

A verificetur illud axioma, tres conditiones requiruntur. Prima est, ut illud quod dicitur maximè tale, non solum sit nobilis & perfectius, sed etiam majus: id est quod supponat in illo genere dari aliquam graduationem, secundum magis & minus, & quod ex ejus participatione, aliquid dicatur magis vel minus tale. Defectu cuius conditionis homo, licet sit perfectissimus inter animalia, non est tamen causa ceterorum: eò quod ratio animalis consistat in indivisibili, nec magis & minus participetur ab inferioribus. Secunda conditio est, quod esse causam, non sumatur solum unò modò, scilicet effectivè; sed etiam formaliter, vel idealiter, & in summa, quidquid participatione sui causare potest: sicut albedo est causa colorum mediorum, qui aliquid de illa participant, & magis vel minus ad illam accidunt. Tertia conditio est, ut illud maximè tale sit causa ceterorum, in eo præcisè in quo maximè tale est, & non secundum aliam rationem sicut maximè calidum, est causa ceterorum, in ratione calidi præcisè, & non quoad alia; & sic Deus, qui est maximè tale in ratione entis & boni, est causa omnium in ratione effendi, & totius perfectonis & bonitatis que reperitur in rebus creatis.

B Quinta demonstratio D. Thomas sumitur ex gubernatione rerum, & ex necessitate unius supremi provisoris, & gubernatoris, qui singulas creatureas in suos fines ordinat ac dirigit: videmus enim, ea quæ cognitione carent, operari propter finem, quia semper aut frequentius eodem modo operantur, & fines suos per debita media consequuntur: unde cùm ea quæ cognitione carent, non possint finem intendere quem non cognoscunt, nisi à causa cognoscente dirigantur (sicut sagitta non potest scopum attingere, nisi dirigatur à sagittante) evidens est in hoc mundo dari sapientissimum quendam gubernatorem, & supremam aliquam intelligentiam, in eorum fines omnia dirigentem, quam Deum appellamus.

C Neque valet communis responsio Atheorum,

qui dicunt actiones illas, seu effectus determinatos causarum naturalium, non procedere à directione alicuius supremæ intelligentie, sed à necessitate naturæ, & inclinatione materia. Exempli causâ, terram tendere ad centrum, propter suam gravitatem, ignem producere calorem, & generare sibi simile, per suam virtutem innatam, & ex aliquo pondere & inclinatione propriæ naturæ. Non valet, inquit, hæc responsio, licet enim res naturales habeant inclinationem & proportionem ad suos fines naturales, hoc tamen non excludit necessitatem intelligentie dirigentis, sed potius illam requirit, ut manifestè appareat exemplum artificiorum, que licet habeant proportionem ad suos fines, v. g. cithara ad melodiam, domus ad inhabitacionem: hoc tamen non habent absque directione intelligentie, partes eorum disponentes, & accommodantes ad prædictos fines. Et certè, si ne minima quidem res artificialis, absque directione rationis constare possit: quanta dementia est, huic ordini rerum naturalium, negare talem directionem; cùm agentia naturalia, in infinitum totam artis soleritatem supererent?

D Confirmari potest hoc argumentum, magisque impugnari hæc responsio Atheorum. ex eo quod res uniuersi, propriæ interdum inclinationis oblitæ, in eo statu constituantur, qui conformior est bono uniuersi, quam propriæ inclinationi. Quod evidens argumentum est, eas non

45.

46.

47.

F

## DISPUTATIO PRIMA

agere nec tendere in suos fines, ex solo pondere & inclinatione naturæ, ut volunt Athœi, sed ex direccione, & motione supremæ cuiusdam intelligentiæ. Consequentia patet. Antecedens inductione probatur. Terra enim cùm petat ex propria natura subesse aquis, utpote gravissimum omnium elementorum: ferè tamen mediâ sui parte eminet, propter commodum & habitacionem hominum. Et cùm eadem petat figuram sphericam, ad bonum tamen generis humani, erigitur in montes, deprimitur in valles, & in planities explicatur. Similiter etiam cùm aqua, ex propria natura petat supernatare terræ, & illam totam cooperire, nihilominus in comminodam hominum habitationem, remanet in fini terræ excavato, & fines ac terminos sibi constitutos, nunquam prætergreditur, juxta illud Job 38. *Mare usque huc venies, & nos procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* In cœlis similiter multa videmus præter inclinationem propriam, ad bonum tamen uniuersi necessaria, ut motus perpetuos, & tam disformes: neque enim illi possunt esse à propria inclinacione, quia motus sit naturaliter ad quietem assuendam, agitatio autem cœlorum est perpetua, & sine ulla quiete. Item motus naturaliter est ad acquirendum novum situm: at sol & sidera, cùm moveantur circulariter, perpetuo redeunt ad eundem situm. Denique fangi non potest, ab inclinatione rei corporeæ, que simplex est & uniformis, procedere motus tam varios & tam disformes, & nihilominus tam æquales, & constantes, quales sunt motus cœlorum.

## DIGRESSIO BREVIS.

*In qua existentia Dei, ex magno & parvo mundo, id est ex artificio mundi struatura, & mirabili hominis compositione demonstratur.*

43. Apienter dixit Trismegistus, mundum hunc esse librum divinitate plenum, & speculum divinorū, in quo divini esse splendidissima fulget imago: quot enim videntur in mundo creaturæ, tot sunt divinitatis vestigia, vel imagines, & tot divina gloriae præcones eximij. *Cœli enim (ut dicit Propheta) narrant gloriam Dei, vocemque (ut ait Chrysostomus) tuba clariorem emittunt,* Elementa muta, Deum esse testantur, suaque ingenti magnitudine, situ, figurâ, pulchritudine, &c. supremi Numinis gloriam celebrant. Mare terribili undarum stridentium sonitu, ejus insonat majestatem. Terra quoque benedit Deum, ejusque existentiam apertissime demonstrat. Sol præclarissimus est divinatis præco. Stella elegansissima ejus encomias, ac veluti cœlorum lingua, quibus enarrant gloriam Dei. Habent & linguas suas arbores, plantæ, flores, fontes, & flumina, quibus suò modō Deum esse testantur. Omnia denique que sunt in mundo vocalia sunt, ut dicit Augustinus, & supremi Numinis existentiam altè prædicant & extollunt, acunâ voce in laudem Creatoris inclamat, *Ipsæ fecit nos & non ipsi nos.* Unde D. Prosper de vocatione gentium cap. 1. *Ante Sacras Scripturas in testimonium Domino describitur orbis terrarum, & inenarrabilis cœlorum pulchritudo, per quam hominibus quædam tabulae prebebantur, ut veluti in pagina elementorum, & in voluminibus tem-*

*A rum, communis & publica divine institutionis doctrina legeretur. Hinc SS. Patres & Theologi, ex magno & parvo mundo: id est ex artificio mundi struatura, & mirabili hominis compositione, plurima & certissima desumunt divinitatis argumenta, quæ breviter hic colligemus, & claritatis gratiâ, ad septem vel octo capita reducemos.*

Primum sumitur ex ipsa materia prima, quæ licet sit omnium entium infima, & imperfectissima, ac prope nihil, certa tamen & evidenter nobis præber divinitatis argumenta. Cùm enim illa non sit propter se, sed propter formas, & composita naturalia, atque in genere substantia imperfectissima, omnibus mutationibus subiecta, omnibus causis naturalibus serviens, à se inops, atque informis, suamque naturalem perfectiōnem ab alijs mendicans; non potest esse à se ipsa, & ab omni alia causa independens, ut singuli Athœi: est enim contra rationem, & sensum communem, supremam perfectionem, qualis est necessitas essendi à se, materia prima adscribere, eaque denegare supremæ intelligentiæ, que sit causa efficiens omnium rerum. Cur enim potuit ens imperfectius esse ex necessitate essendi, perfectius autem non potuit? Certe in hoc (ut supra annotavimus) appetit mira stupiditas & dementia Athœorum, qui materiam primam singunt aeternam, & à se existentem, & negant dari prium aliquod efficiens, & à se ac necessariò existens, quod sit causa ceterorum.

Item si materia prima esset à se, non esset determinata ad eam quantitatem, quam nunc habet, sed esset quanta esse posset; & cùm ex se nullam habeat formam determinatam, sed sit indifferens ad omnes; si nulla esset prima causa efficiens, à qua ad hanc potius quam ad illam determinaretur, vel omnes haberet, vel nullam.

Præterea quando datur unum extremorum, debet etiam dari & aliud: Ergo si in rebus inveniatur aliiquid quod est potentia tantum, ut materia prima; & aliiquid quod est actus & potentia simul, ut res ceteræ: debet etiam dari aliiquid, quod sit actus tantum, ut Deus, qui est actus purus, & infinitus in sua actualitate, sicut materia est infinita in sua potentialitate, ut discurreat S. Thomas 1. contra Gentes cap. 43. ratione 3.

Denique, cùm materia prima sit primum subiectum, non potest fieri ex alio presupposito subiecto, sed solum ex nihilo, atque adeo per creationem: causa autem quæ agit per creationem, debet habere infinitam virtutem & potentiam, quæ soli Deo potest competere. Ut enim discurreat idem S. Doctor 1. p. quæst. 45. art. 5. ad 3, tanto virtus agendi debet esse fortior & intensior, quanto magis distat terminus à quo, à termino ad quem qui producitur: unde cùm inter nihil & ens, qui sunt termini creationis, sit infinita distantia, ad educendum aliiquid ex nihilo, & ex nullo presupposito subiecto, virtus infinita requiritur.

Secundum argumentum sumitur ex situ ac dispositione elementorum, & præcipue terra & aquæ: ut enim supra annotavimus, terra naturaliter deberet esse sub aqua, tanquam illa gravior, & non deberet unum cum illa globum efficere, neque habere montes & sinus, sed esse perfectè rotunda, & aquis circumquaque opera: qualis fuit initio mundi, priusquam Deus formaret mare, & aquas veluti in utre congregaret, ut loquitur Propheta. Cùm enim terra sit grauior aquæ, & quæcumque corpora grauia æqualiter

tendant ad mundi centrum, cōque magis & propinquius ad illud accedere nitantur, quo plus habent gravitatis, deberet terra quæ gravior est, secundum omnes sui partes, undique ad centrum propius accedere, & aquis sphæricè circumfusis, tota subiacere: cūjus contrarium in magnum hominum & animalium commodum factum esse videmus. Cūm ergo hic situs, & dispositio terræ & maris sit præternaturalis, & contra utriusque elementa naturalem inclinationem; à nulla causa naturali & necessaria esse potuit; sed solū ab aliqua suprema intelligentia, hujus mundi gubernatrice, & hominum atque animalium curam gerente.

51. Tertium argumentum petitur ex motibus corporum cœlestium: ut enim rectè argumentatur Lessius in libro de providentia numinis, num. 16. & sequentibus: motus ille cœlorum vel astrorum, tam velox, & tam multiplex, tam varius & tam dissimilis, & tam accommodatus bono & commodo rerum sublunarium, evidenter ostendit, ipsos non esse à se, sed ab aliqua suprema intelligentia mundi retriectrice: nam quod hic motus non oriatur à naturali siderum vel cœlorum inclinatione, manifestum videtur: cūm ea quæ ex naturæ inclinatione moventur, tendant ad aliquem terminum in quo quiescent & conserventur, ut videmus in sublunaribus: nulla siquidem res habet inclinationem ad motum, ut sine fine moveatur, & nunquam ad terminum pertingat: quia motus est quid imperfectum, utpote via ad terminum. Item naturalis inclinatio ad motum, est propter bonum subiecti, nimirum ut illud suam perfectionem assequatur, & conservetur: at motus corporum cœlestium, nihil perfectio-  
nis ipfis affert, sed solū utilis est rebus inferioribus: dum astrorum vim & influencias, per totum orbem distribuit, & omnia facit crescere, vegetare, & conservari: unde sequitur illum non posse esse nisi ab aliqua suprema intelligentia, quæ motum hunc institerit, & tali modo, tam vario, tam mirabili, & ad finem appositio, illum temperaverit. Quare eleganter Minutius Felix in Octavio: *Quid potest esse tam apertū, tam confusum, tamque perspicū, cūm oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra citraque sustuleris, quæ es- se aliquid numerū præstatiſſime mentis, quib[us] omnis natura inspīretur, moveatur, alatur, gubernetur.*

52. Confirmatur: quod habet causam finalem ad quam ordinatur, habet etiam efficientem à qua ordinetur; cūm idem sit ordo efficientium & finium, & finis non agat, nisi movendo causam efficientem, nihilque sit a se ut alteri serviat, sed ut seipso fruatur: Ergo si motus corporum cœlestium non sit propter se, sed propter aliud, scilicet propter bonum & conservationem universi, non est etiam à se, sed ab alio, & ab aliqua suprema intelligentia, mundi gubernatrice & moderatrice. Et idem dicendum est de elementis, cūm illa non sint propter se, sed propter aliud, nimirum ut sint partes mundi, præbeantque materiam corporibus mixtis, & sui permixtione & peremptione, generationem illorum inferviant.

53. Quartum argumentum sumitur ex immensa & portentosa cœlorum ac elementorum magnitudine, quæ demonstrat authorem mundi esse maximum, & potentiam ejus infinitam, quæ potuerit tam vastas moles producere; & cūm talis magnitudo sit finita, nec repugnet ex natura rei, talia corpora esse majora vel minora, hinc colligitur, supremum esse artificem & moderatorem, qui cūm possit majorem, & majorē in infini-

A tum molem fabricare, elegit liberè illam, ex quā sufficienter cognoscitur ejus potentia: lumine enim naturali notum est, recurrentum esse ad causam liberam, quando necessaria non sufficit. Unde meritò Cœli dicuntur esse quasi liber quidam apertus, in quo divinæ potentiae magnitudo legitur, juxta illud Isaia 34. *complicabuntur sicut liber cœli*, & secundum illud Psalmi 103. *Exveniens cœlum sicut pellē*: quibus verbis alludit Propheta ad morem antiquorum, qui ex pellibus olim libros conficiebant: sicut ergo libri res gestas narrant, ita & Cœli enarrant gloriam Dei, ut dicit idem Propheta. Que verba expendens Chrysostomus Homil. 9. ad populum, sic loquitur. *Quonodo (inquit) enarrant gloriam Dei, dic mihi? vocem non habent, os non possident, illis non est lingua, quonodo igitur narrant? per ipsum aspeatum.* Cūm enim vides pulchritudinem, magnitudinem, cœlestinem, situm, formam, per tantum corpus permeare, tanquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum qui tam pulchrum & admirable corpus creavit. Tacet cœlum, sed ipsius aspectus, vocem tubâ clariorem emittit, per oculos non per aures nos docens, &c. Videndum est etiam Cicero libro 2. de natura Deorum, ubi eleganter idem argumentum prosequitur.

54. Quintum argumentum petitur ex mirabili pulchritudine, ordine, dispositione, ornatu, & regimine hujus uniuersi, & tangitur à D. Augustino lib. 10. Conf. & 11. de Civit. cap. 4. *Mundus*, inquit, *iste ordinatissimā sūk mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimā specie, quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.* Quam cogitationem magis explicat Philo Iudeus lib. 4. de Monarchia, his verbis. *Si quis in civitatem veniat legibus optimis constitutam, quid aliud suspicabitur, nisi regi ab optimis magistratibus? Quonobrem qui in magna introierit civitatem, mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit aëris temperiem, annuarum tempestatum conversiones, deinde Solem & Lunam, diei noctisque moderatrices, & cæterorum errantium, favorumque siderum, & celi totius in orbem agitationem, & choreas, nonne verisimiliter, aut potius necessariò, de patre, & conditore, nec non rectore cogitabit?*

Eodem argumento utitur Nazianzenus orat. 34. & adducit exemplum citharae, cuius concentum suavem cūm audimus, non dubitamus eam pulsari à perito artifice. Ita similiter, cūm suavissimum partium mundi concentum in suis motibus contemplamur, dubitare non debemus, peritum artificem, scilicet Deum, hæc omnia componere, & in concordiam adducere, illumque esse supremum mundi rectorem & conditorem. Sane si mundus iste corporeus, tantà partium multitudine & varietate, tamque aptâ dispositione omnium mirabilis, concursum fortuitum atomorum factus est, ut olim somniarunt Democritus, & Epicurus: cur non simili modo fiunt regia palatia, ex lignorum & lapidum fortuitâ congeriè? Vel, ut ait Tullius lib. 2. de natura Deorum, cur Annales Ennij, & Homerii poemata, non fiunt similiter ex concursu fortuito characterum, casu & sine ordine in terram decidentium, vel tabulae pictæ elegantissimè, ex fortuito colorum in eas delapsu? & alia hujusmodi, in quibus longè minus elucer artificij & ingenij industria. Unde Trismegistus in Pimandro cap.

5. *Cum statuam absque fabro & pictore fieri, nul-*  
F ij

## DISPUTATIO PRIMA

*Ius afferere audeat : miram bujus mundi constitutio-  
tione, sine conditore constitisse putabimus?*

Denum, ut discurrit Chrysostomus homilia 6. & 10. ad populum: si ne tabula quidem artificiosè picta, sine confilio fiat, nec domus ampla, nec res publica, inquit nec casula pastoritia, sine alicuius providentia diu stet; nec navigium inter procellas, ne diem quidem unum, cursum tene-  
re possit ad portum, sine gubernatore: multo  
minus mundus iste, ex tot rebus, & variis, & in-  
ter se contrariis compositus, poterit stare sine  
aliquo rectore. Cui etiam concinuit Lactantius  
lib. 2. cap. 3. his verbis: *Quis nisi totaliter cecus,  
& ratione privatus, hanc rafissimam molem, tot  
caelis, tot elementis, totque aliis corporibus com-  
pagnatam, ab aliquo praestantissimo, & divino  
opifice constructam non iudicet? qui terram stabili  
firmitate suspedit, qui caelum distinxit aëris fid-  
gentibus, qui solem rebus humanis clarissimum, ac  
singulare lumen in argumentum suæ unicæ maje-  
statis accedit: terris autem maria circumfudit,*  
*flumina sempiternâ lapsu fluere præcepit.*

*Iussit & extendi campos, subsidere vales:  
Fronde tegi syrvas, lapidosos surgere montes.*

55.

Sextum argumentum petitur ex conflicitu per-  
petuo elementorum, inter se, ob varias qualita-  
tes quibus constant, dissidentium: quo non ob-  
stante conservantur, & durant in omnem tem-  
porum longitudinem: quod argumentum fusè  
prosequitur Athanasius in libro contra Gentiles,  
& potest sic breviter proponi. Non posset ordo  
universi in tanta partium diversitate, inquit  
continuâ, perpetuus esse, nisi aliqua intelligentia,  
summò consilio, & sapientia, consuleret illi  
perpetuitati: Sed intelligentia, consilio & arte  
prospiciens incolumenti mundi, ut suo operi,  
est Deus: Ergo ipsum existere, nemo sanæ men-  
tis negare potest. Major constat experientiâ, &  
ratione: ubicumque enim est discordia partium,  
& nullus qui contineat & dominetur, non diu  
manet in ea confusione, totum incolumentum. Exem-  
plum afferit Athanasius, libro citato, civitatis in  
qua cives essent diversarum partium studiis in-  
ter se pugnantes; & quidem multi potentes, plu-  
res imbecilles, plurimi divites, & multi egeni  
&c. si quis in ea civitate, videat nihilominus  
conservari unicuique æqualitatem iuris, non du-  
bitabit esse principem & magistratum, qui om-  
nes in officio contineat: sic ex universi incolu-  
mitate, perseverante in tanta rerum discordia, ac  
perpetuo elementorum conflicitu, necesse est in-  
telligi, esse principem & moderatorem, qui huic  
perpetuitati & incolumenti prospiciat.

56.

Septimum argumentum sumitur ex homine,  
qui Microcosmos, seu parys mundus appellatur;  
& qui cum componatur ex corpore & ani-  
ma, plura etiam ex consideratione utriusque par-  
tis, argumenta divinitatis suppeditat; unde  
Trismegistus in libro, *quod Deus invisibilis, im-*  
*pietatem, cecitatatemque vocat, ex hominis fabri-  
ca, non agnosceret Deum.* In primis enim si  
humani corporis fabricam attente considere-  
mus, tot tamque stupenda, & admiranda in eo  
opere occurunt, ut sit impossibile excogitare  
quidquam melius aut sapientius ordinatum.  
Nam in eo, ut ait Galenus, sunt ossa ducenta vi-  
ginti quatuor, qua singula habent officia supra  
quadraginta: musculi plusquam sexenti, qui  
singuli officia habent decem: nervi, arteriae, &  
venæ planè innumerabiles, in minutissima ca-

*Lib. de  
format.  
fusus.*

A pillamenta tandem desinentes: singulorum  
membrorum tam exquisita proportio ad suos fi-  
nes, ut circa solum oculum fieri possint plus-  
quam ducentæ reflexiones, circa situm, mensu-  
ram, figuram, tunicas, musculos, nervos, pal-  
pebras, cilia, supercilia, & similia, quæ toti-  
dem sunt artis divina miracula. Unde idem Ga-  
lenus urgens illud argumentum contra Epicu-  
reos, offert illis tot annos quot voluerint, ad co-  
gitandum quid potuerit in quocumque osculo  
in melius immutari, & se demonstratum pol-  
licetur, graviores defectus incurri, si quidquam  
immutetur; nihilque potuisse melius aut sapien-  
tius ad suum finem ordinari, ut etiam eleganter  
demonstrant Laurentius, & Riolanus, in libris  
quos de anatomie humani corporis conscrip-  
serunt. Cum ergo tam præclarum opus, & tam  
mirabilis fabrica humani corporis, attribui non  
possit aut humanae solertiae, aut virtuti semenis,  
quod est generationis instrumentum; ad sapien-  
tiæ extrinsecam, nimirum divinam, & ad su-  
premam intelligentiam, virtutem illam semenis  
dirigentem, necessario recurrentum est. Quod  
argumentum olim utebatur septem Machabœo-  
rum mater, lib. 2. Machab. cap. 7. filios ita com-  
pellans. *Nescio qualiter in utero meo apparui-  
sus, neque enim ego spiritum & animam dedi vobis,  
& vitam, & singulorum membra non ego ipsa  
compegi, sed mundi creator &c.*

B Ex ipsa etiam anima rationali plura argumen-  
ta erui possunt, quibus supremi numinis existen-  
tia demonstratur: licet enim ejus immortalitas,  
aut spiritualitas non admitteretur, illius tamen  
prope infinita capacitas, Deum authorem argue-  
ret: anima enim est incomprehensibilis capaci-  
tatis, five sagacitatem intellectus, five amplitudinem  
& tenacitatem memoriae, five ejus libertatem,  
five dominationem universi; five vires  
ejus naturales ad concoquendum, distribuen-  
dum, & assimilandum alimentum consideremus.  
Item in ipsa anima relucet viva quedam divini-  
tatis imago: sicut enim Deus est immortalis, ita  
& anima incorruptibilis: sicut Deus ubique est,  
totus in mundo, totus in singulis ejus partibus,  
ita anima tota est in corpore, totaque in singu-  
lis ejus membris: sicut Deus omnia prospicit,  
ita anima libera est, & diffusis cogitationibus  
atque consilio, hue atque illuc vagatur. Omit-  
to desiderium beatitudinis, quod animæ huma-  
nae naturaliter inditum est, quodque certissimum  
est, & invictissimum divinitatis argumentum,  
iuxta illud Augustini, *Fecisti nos Domine ad te,  
inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

C Denique in ejusdem veritatis confirmationem  
adduci potest, quod homines in repentinis per-  
culis, ubi se humanò auxiliò conficiunt defitu-  
tos, naturali quodam instinctu, ad superiora  
se convertunt, & supremi numinis auxilium in-  
vocant; & ut loquitur Tertullianus in libro de  
testimonio animæ, *Non ad Capitolium, sed ad  
Cælum respiciunt.* Ex quo manifestè confat, na-  
turaliter nobis inditam esse Dei cognitionem:  
unde idem Author ibidem vocat hoc argumen-  
tum, *Testimonium animæ naturaliter Christianæ.*

E Qui plures cupit demonstrationes de existen-  
tia Dei, confusat tonum primum Theologi Ec-  
clesiastis, editum à P. Hyacintho Chaluer, ordi-  
nis Prædicatorum, ubi eruditè, & eleganti stilo,  
exponit tringita octo Physicas demonstrationes,  
& viginti duas morales, quibus supremi numinis  
existentia astraruit.

57.

58.